D. s. 9
138

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

VENÆ SECTIONE ABORTUM PRÆSERVANTE,

QVAM AUSPICE DEO PROPITIO

Auctoritate Gratioſæ Facult. Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

Præſide Pro-Rectore Magnifico

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

Sacr. Maj. Reg. Boruſſ. Aul. & Conſiſtor. Magdeb. Conſiliario,
Med. & Philoſ. Nat. Prof. Publ. Ord. Acad. Nat. Cur. Collega,
Societ. Reg. Boruſſ. Scient. Sodali, &c.
Facultatis Medicæ Decano ſpectatiſſimo,

Dn. Patrono, Præcept. ac Promot. ſuo honoris cultu proſequendo,

PRO LICENTIA

Hor. Loc. conſuetis A. 1727. d. Mart.

Publicæ Eruditorum Ventilationi ſubjiciet

Auctor & Reſpondens

JOH. CHRISTIAN. FABRICIUS,
Hoſtrupo-Cimber.



Halæ Magdeburg: typis Joh: Chriſt: Hendelii
Acad: Typograph:
J.C. Syfang. Acad. Calcograph. ſculpſ.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

138

VIRIS

EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS AMPLISSIMIS DOMINIS,

DOMINO

JOHANNE EICHELIO,

SACR. REG. DAN. MAJEST. CONSILIARIO JUSTITIÆ, CONSULI ET PHYSICO ORDINARIO CIVITATIS HAFFNIÆ, MEDICINÆ DOCTORI ET PRACTICO LONGE DIGNISSIMO MERITISSIMOQUE.

UT ET

DOMINO

ANDREÆ HOYERO,

SACR. REG. DAN. MAJEST.

CONSILIARIO JUSTITIÆ SPECTATISSIMO.

DOMINIS FAUTORIBUS SUIS

OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDIS

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM

IN TESTIMONIUM HONORIS OBSEQUIIQUE

offert

AUTOR.

J. J.

QUantum, Benevole Lector, veræ eruditionis, ſolidorumque ſtudiorum progreſſui obſtaculum proponat, imprudens fides, quæ omnibus quorundam virorum celebrium ſententiis, imo verbis ſine ponderatione argumentorum, pro iisdem militantium, audacter tribuitur, vel ut uno verbo ſolito dicam, *præjudicium authoritatis*, non ſine magna animi indignatione omnes eruditi cordati confitentur, nec ullus facile reperitur ex toto Doctorum numero, qui hoc ſtudiorum impedimentum, non niſi ut noxium peſtife-

rumque declaret, quippe ſummo accuſet fervore; attamen multos mireris! in quorum mentes hoc infenſum venenum irrepſit, maximamque judicii partem valde obnubilavit. Utut enim multorum eruditorum morbus quaſi endemius ſit, inter artis medicæ tamen cultores maximam ſtragem exſerere obſervatur, dum Theologia Sacras litteras nobis offert. Jurisprudentia vero leges & canones ſuppeditat, quorum autoritatibus inhærentes ab erroribus optime præſervamur. Aſt medicina hiſce legibus minus circumſcripta, neque verba, neque libros, neque volumina, ſed ſolam rationem cum experientia conjunctam pro vero & infallibili fundamento agnoſcit; Hinc eo facilius a veritatis regia via aberramus, ſi quodam in ſcripto talem fiduciam collocamus, qualem ſupra dictorum ſtudiorum ſcrutatores ſuis tribuere tenentur. Unde enim quæſo! ſexcenti errores in medicina, niſi ab ipſorum autoribus generati, eorundem pertinacia authoritatem ſuam defendendi nutriantur, & a præmaturo diſcipulorum in præceptores

fer-

ſervore corroborentur. Damna illa longe recenſere, quæ exinde tam in theoriam, quam praxin redundant, prohibet & tempus & inſtituti ratio, quare ulteriorem eorundem delineationem liber nuper editus ſub titulo *Urſini Warmunds* ſufficienter ſuppeditabit. Sufficiat nobis, præconceptam opinionem de noxa venæ ſectionis in gravidis, quaſi exemplum inſignis erroris, ex autoritatis præjudicio orti in medicina practica allegaſſe. Cum enim Hippocrates venæ ſectionem gravidarum pro cauſa abortus declaravit *Libr. Vto*, *Aph. 30.* dicens, *mulieri in graviditate ſi vena tundatur, abortit, eoque magis, ſi fœtus grandior.* Inde ſtatim multi medicorum, eandem ſumme pernitioſam æſtimarunt, neque reſpicientes in climatis & ſeculi præteriti conditiones, neque curantes præſentium ſubjectorum vitæ genus, quin temperamenta, multo minus rationes, huic ſententiæ obſtantes, attendentes. Quanto autem nævo laboret hæc ſententia generaliter ſumta, & quam inſignia commoda variis in caſibus venæ ſectio in pede gra-

vidarum inſtituta afferat, jam ante aliquot annos ex ſolidis rationibus infallibilique experientia eruditus quidam Danus, qui olim in academia noſtra vixit *Hojelſinus*, *diſſertatione de venæ ſectionis in pede gravidarum uſu tuto & ſalubri* ſolide demonſtravit. Tantum vero abeſt, ut venæ ſectio talis prudenter in gravidis inſtituta, abortum cauſetur, cum mihi potius licuerit, ſub fideli manuductione *Experient. Dn. D. Junckeri*, *præceptoris honoratiſſimi* obſervare, & præcipue ex *Illuſtris Dn. Archiatri Stahlii diſſertat. de abortu & fœtu mortuo* annotare, eandem præ omnibus aliis remediis optime, contra communem plurimorum ſententiam abortum præſervare. Qua de cauſa mihi propoſui, *hanc materiam* de VENÆ SECTIONE ABORTUM PRÆSERVANTE pro themate diſſertationis inauguralis ſeligere. Faxit vero omnium actionum ſapientiſſimus moderator, ut præſens labor in ipſius gloriam, ac miſerarum ſolamen vergat exoptabile. A Te vero, B. L. humaniter peto, ut in hoc labore paucarum horarum, quas

cete-

ceteris negotiis detraxi, non amplam eruditionem aut verborum elegantiam, ſed potius Rei ipſius veritatem & utilitatem brevibus delineatam perquiras.

§. I.

Vix dici poteſt, quantæ curæ medici obruant animum, quando gravidæ ab eodem conſilium & auxilium contra imminentem efflagitant abortum. Premunt illum preces miſeræ matris, & afflicti patris, qui tam anxie ſobolem optant, in qua ſæpe totius familiæ, quid quod interdum magnæ gentis ſpes poſita eſt; torquent illum horrenda matris ſymptomata ante abortum, & metuendum vitæ periculum poſt eundem; Angit illum mali moris infenſa abortus conſuetudo, quæ utplurimum recurrere ſolet; Vexat illum interdum cupido præmiorum conſervatori prolis promiſſorum. Maxime vero ingenuum affligit medicum recordatio officii ſui, quo miſeris ſuccurrere debet, quod tamen hoc in caſu rarius ex voto ſuccedit. Utplurimum enim nihil niſi tragœdiæ hujus inutilis ſpectator eſſe obſervatur; quam parum namque auxilii in remediis pharmacevticis utque dum cognitis repertum ſit, tot deploranda exempla ſterilium matrimoniorum ob repetitos abortus ſufficienter demonſtrarunt, ut plurimum enim parum, raro in primo abortus inſultu aliquid, ubi vero jam in conſuetudinem degeneratus eſt, plane nihil præſtare ſolent. Quare

re ſingularis divina clementia humillima mente veneranda eſt, quod inter tot nova inventa, & obſervationes utiles, quibus ante hoc ſeculum majores caruerunt, etiam tale remedium in clariorem lucem prodierit, quo multi infantum, ad legitimum terminum perdurantes, vitam hac in luce percipere, & languidæ matres vires ſuas amiſſas facillime poſſint recuperare.

§. II.

Antequam ipſam aggrediar tractationem, prius certis quibusdam limitibus hujus diſſertationis circumſcribere campum, neceſſarium videtur. Moneo ergo, longe a ſcopo meo abeſſe, de iis, quæ ad legalem abortus conſiderationem ſpectant, quædam afferre, de qua re *Magnif. Dn. Præſes in Juriſpr.* egit clarius, & *Experientiſſimus Dn. Licentiatus Bockius Amicus Suaviſſimus in diſſertat. de Judicio circa abortum concitatum ferendo*, ſatis docta, hac de materia ſimul mentionem faciens, commode ſatis poteſt evolvi. Igitur mihi non eſt animus, prolixam & magis rhetoricam abortus theoriam ſubminiſtrare, quam b. *Rivinus, celeberrimus Bohnius, illuſtris Stahlius, excellentiſſimus Hilſcherus*, & alii in ſuis diſſertationibus peculiari induſtria, ſole clariorem expoſuerunt; Sed ea tantum proferam quæ ad hujus remedii rationalem probationem neceſſario requiruntur. Nec placet, generalem methodum medendi, hujus truculenti affectus, pro differentia cauſarum variantem in medium producere, dum ad curam a laudatis viris commendatam vix aliquid addere licet. Minus etiam arridet, de genera-

nerali uſu venæ ſectionis, in gravidarum variis afflictionibus verba facere, cujus utilitatem jam laudatus *Hojelſinus* ſatis ſuperque deprædicavit: Solum ergo hunc finem mihi propoſui, quo venæ ſectionis uſum contra imminentem abortum in plurimis ſubjectis, non modo eſſe rationalem, imo ſæpiſſime neceſſarium, ſed etiam experientia teſte inutiliter adhibitis omnibus, quæ tali ſcopo commendantur pharmacevticis, ſingularem & probatam exeruiſſe efficaciam, demonſtrem.

§. III.

Ut vero ordine procedam, dicam de Abortu, quod *ſit immatura & præmatura excluſio fœtus vivi;* Ex qua definitione facile elucefcet, quod vocem abortus latiori accipiam ſenſu, nec ad differentiam inter abortum ſtricte ſic dictum, quo ante ſeptimum geſtationis menſem ex utero materno ejicitur fœtus, & partum præcocem, qui poſt eundem, usque ad initium noni menſis contingit, haud attendam. Etſi enim hæc diſtinctio in foro legali eximium habet uſum, dum fœtus in partu præcoci vitalis eſt, adeoque varia jura tam ſibi quam matri affert, tamen cum eadem methodus medendi in præſervatione utriusque adhibeatur, noſtrumque remedium in ambobus eandem præſtet efficaciam, hanc differentiam merito medicinæ legali relinquimus. Præmaturam excluſionem *vivi fœtus* autem abortum vocans, indico, me ſub eadem partum fœtus mortui haud complecti; & ſi enim quidam hunc etiam ſub nomine abortus comprehendere ſolent, juſtiſſima tamen nobis inter

abortum & fœtum mortuum retinenda videtur diſtinctio, cum plane diverſa in iisdem requiratur medela, dum ille omnibus viribus præcavendus, hic vero prudenti ſtudio potius promovendus eſt, præſertim vero venæ ſectio, quæ in imminenti abortu utplurimum non ſatis commendari poteſt, in fœtu mortuo vel plane non, vel raro, & in paucis caſibus reſervatis, locum habet. Differentiam horum affectuum utut practico valde neceſſariam infra poſt data ſigna abortus pro viribus indicabo.

§. IV.

In cauſali deductione merito cauſa efficiens præmittitur, in cujus denominatione autores in diverſas trahuntur ſententias, ego autem in eorundem diſquiſitione exacta non morabor, cum vel ad entia, quorum exiſtentia valde dubia, nullisque argumentis ſtabilita obſervatur, confugiunt, aut etiam actum ipſum, inſtrumenta, & directorem talis actus haud diſcernunt. Cum ergo *Illuſtris Stablius*, *Magnificus Præſes* & alii ſufficientibus argumentis probarunt, naturam humanam omnium motuum activorum in corpore vivo eſſe cauſam, ita eandem etiam pro cauſa efficienti abortus agnoſcere haud dubito; ex omnibus enim circumſtantiis activitas horum motuum abortivorum clare ac perſpicue eluceſcit, nam ſtimuli, quos quidam ſibi fingunt, aut relaxationes præſuppoſitæ, aliæque conſiderationes nude materiales & phyſicæ, quod hic totam rem non exhauriant, uberrime probant varia phœnomena abortus, qualia ſunt ſtata tempora, quæ utplurimum habet

abor-

abortus, nempe tempus conſuetum menſtrui fluxus, ejusdemque recurſus circa certum tempus, facilisque degeneratio in conſuetudinem, inſignes effectus animi pathematum in hoc negotio, motus activi ad hunc finem impetrandum apti &c. de altiori directorio optimum perhibent teſtimonium, eoque ipſo imbecillitatem contrariæ ſententiæ detegunt, quamvis non negem, quod etiam cauſæ materiales, quarum quasdam infra recenſebo, ad tales motus occaſionem præbere poſſint.

§. V.

Inter cauſas antecedentes occaſionales præ ceteris eminet *pletorha*, quæ gravidis adeo familiaris eſt, ut in toto earum numero vix decimam partem ab abundante ſanguine liberam numeres, cujus rei plurimos practicos attentiores teſtes habere, firmiter mihi perſuadeo, nec ratio nec experientia ab hoc aſſerto abludere videntur. Sanguis enim gravidarum ob defectum fluxus menſtrui ſub primis præſertim menſibus valde accumulatur, ſiquidem tenerrimus embryo exigua tunc temporis ſanguinis quantitate pro nutritione vivit contentus: Concurrit inprimis huc diæta gravidarum, quæ ſæpe mollior, delicatior & magis nutriens eſſe ſolet, quam extra graviditatis ſtatum: Deficit univerſale illud remedium ſanguinem imminuendi, nempe motus corporis voluntarius, a quo etiam alias laborioſo vitæ generi adſuetæ mulieres ſub geſtationis tempore, quantum res domeſticæ permittunt, lubentiſſime abſtinent, ſuique corporis ſollicitam, etſi tam fœtui, quam ſibimet

 ipſis

ipſis ſæpe pernicioſam adhibent curam. Sic quotidie augetur ſanguis, nec media adſunt, quibus imminuatur, a motu namque corporis, uti jam dixi, abſtinent, menſes rariſſime ſecure fluunt, rarius his ſubſtituitur fluxus hæmorrhoidum, hæmorrhagiam narium ætatis ratio impedit, etſi interdum etiam in gravidis talis obſervatur, cujus notabile exemplum experti ſumus in fœmina, quovis die decreſcentis lunæ ſub tempore graviditatis ſanguinis quandam partem ex naribus excernente, cum optimo pathematum hyſtericorum, quibus alias laborabat, levamine; Excretio ſanguinis per pulmones aut ventriculum eſt plane inconveniens & noxia; *conf. de Hæmorrhagiis gravidarum innoxiis A. N. C. Cent. 1. p. 116. 117. in gravidis vomitus ſanguinis quotidianus innoxius dec. 1. an. 10. obſ. 6. gravidæ nonnullæ eximias narium hæmorrhagias ſine damno experiuntur. Rejes Camp. Elyſ. juc. quæſt. qu. 74. p. 994. 995.* Quale exemplum D. D. Præſidi innotuit hic loci in gravida plethorica, quæ ſingulis Menſibus notabilem Narium hæmorrhagiam experta fuerit. Evacuationes artificiales diſſuaſerunt medici; febres, quibus alias ſæpe moleſtus conſumitur ſanguis (vulgo die Schmeltz-Fieber) gravidis periculoſæ ſunt. In quibusdam generatio ſanguinis per dejectionem appetitus ſalutari fine intenditur, ſed 1) in paucis, 2) raro diu appetitus talis deficiens continuat, & 3) quantitatis ciborum defectus per qualitatem eorum eo lautiorem largiter interdum compenſatur; Hinc ſummo jure a priori concludo, ſanguinem in pluribus gravidis ea reperiri quanti-

tate

tate, ut non ſolum iis ipſis ſed & embryonibus moleſtus quin ominoſus evadat, quibus ſimul experientia majorem lucem affert, dum innumerabilia fere in gravidis obſervantur pathemata, quæ tantummodo plethoram ut matricem venerantur. e. g. cephalalgiæ, membrorum laſſitudo, multaque alia morboſa ſchemata, ut totus motuum hyſtericorum apparatus, qui haud exigue in ſtatu graviditatis viventes fœminas per totum geſtationis tempus miſere torquent; Quid quod notandum, hi affectus plerumque adeo ſunt pertinaces, ut rariſſime remediis pharmacevticis cedant, nec venæ ſectio (etſi unicum fere remedium, quod evidentem hoc in paſſu præſtat effectum) in omnibus ſubjectis prima vi a celebrata, exoptatum exſerit levamen, niſi bis, ter, forſan quod mireris, ſingulis menſibus geſtationis tempore reiterata, tandem omnia dicta ſymptomata tollat feliciter, in evidens teſtimonium, hac ratione totius morbi radicem, puto plethoram, eſſe ſublatam. Etenim ſuo jam conteſtantur fluxu *Lochia*, ſuperfluam, ſub graviditate collectam ſanguinis quantitatem, commoda hac nacta occaſione eſſe exernendam. Omnia hæc, ſi mente præjudiciis minus imbuta, penſitentur, ad præſentiam plethoræ affirmandam, firmo quin gaudeant nervo, haud dubito.

§. VI.

Ulterius inquirendum jam venit qua ratione plethora abactionem provocare valeat; lubenti utique confiteor animo, plethoram quietam non ſem-

per, imo rarius, abortui anſam præbere, quum tot uterum geſtantes plethoricæ illum minus experiuntur, ſed ſæpiuscule per totum ingravidationis ſpatium ſine ullis effatu dignis incommodis vitam degentes, termino congruo propitia Lucina fœtum excludunt optatum. Interdum tamen & quieta, abortum provocare obſervatur in fœminis temperamenti Sanguineo-Cholerici, aut Sanguineo Melancholici, in his enim natura, ſicuti maxime præ reliquis circa generationem ſanguinis copioſiorem verſatur, ita etiam magis ad evacuationes ejusdem naturales proclivis reperitur. Quæ cum ita ſint, inſuper quoque talia ſubjecta ſingulari gaudeant ſenſibilitate, hinc eo facilius natura, qualemcunque ſanguinis abundantiam ſic ſibi moleſtam apprehendit, ut ejusmodi evacuationem quaſi optimum ſanguinem imminuendi remedium, per conſueta loca uterina eſſe ſuſcipiendam judicet. Congeruntur humores verſus uterum, & ſi ſub hac congeſtione contingat, ut vaſculum quoddam in vagina uteri disrumpat, tunc evacuationem ſanguinis per tale oſculum urget, donec ſibi ſatisfeciſſe videatur, unde menſes, tempore geſtationis, ſine omni noxa fœtus, fluentes quin plane etiam hæmorrhoides interdum obſervantur. *A. N. C. dec. 1. an. 6. obſ. 63. Salmuth. Cent. 3. obſ. 36. Bartholin. Cent. 3. hiſt. 13. de fluxu ſanguinis uterini per totum ingravidationis terminum usque ad partum. A. N. C. dec. 1. an. 10. obſ. 29. conf. Lexicon reale obſervationum D. D. Præſidis* quod jam ſub prelo ſudat. Etſi non adeo abſonum videatur, quod primis poſt conceptionem menſibus,

ſibus, ex ipſo utero quædam ſanguinis evacuatio, ſine ſubſequenti abortu fieri poſſit; dum enim orificium ejusdem tunc temporis adhuc aliquo modo apertum obſervetur, ſanguis uti ſucceſſive per vas disruptum in uteri cavitatem fluit, ſic etiam ſucceſſive per apertum orificium, illæſo fœtu, exſtillare poteſt. Quando autem ſanguinis congeſtio magis ad ipſam uteri ſubſtantiam dirigitur, & in ejusdem cavitate vaſculum quoddam, orificio jam clauſo, disrumpit, tunc ſanguis, ob impeditum ex utero egreſſum in tantam accumulatus molem, uterum nimium diſtendens, illi valde moleſtus evadit, ob quem ſenſum inſtituuntur motus ſpaſmodico conſtrictorii in ſubſtantia uteri muſculoſa, quibus & ſanguis & fœtus in eodem fluctuans, ſtrenue ſatis, ſed erronee expelluntur. Multo citius, imo frequentius, in quibuscunque ſubjectis, & quocunque geſtationis tempore, abactionem promovet plethora moleſta & commota, motus enim omnes, majori impetu verſus uterum ruunt, congeſtiones & motus ſpaſtici ſunt vehementiores, & in tantum gradum pertinaciores, ut rariſſime quieſcant, niſi moleſta ſanguinis abundantia, ob quam motus inſtituti, modo hac modo altera eliminetur via; Ex utero ideo ſi contingit, ſine interitu hoſpitis ſui novi rariſſime evenit, de qua intentione, vehementia, atque pertinacia talium motuum enormis poſt abortum ſanguinis profuſio teſtatur; quæ etiam ſatis indicat, quod ſi congeſtio talis tantum verſus vaginam, aut ipſum uterum, aperto adhuc ejusdem orificio, directa fuiſſet, vix tamen

men-

mente concipi poſſe, quomodo fœtus ſub talibus exceſſivis motibus ſalvus & incolumis retineri poſſit. Supereſt autem in memoriam revocare, moleſtam ac commotam plethoram non ſemper ut cauſam abactionis eſſe cognoſcendam, infinita enim teſtimonia gravidarum adſunt, per durantem geſtationis terminum variis incommodis ex plethora ortum trahentibus miſere afflictarum, quæ triſtis minus concomitatus, abortus.

§. VIII.

Ad deductionem cauſalem pertinent omnia ea, quæ tam ad plethoram in gravidis generandam quam commovendam exiſtunt idonea, quæ paucis dum allegare lubet, ulteriorem eorum explicationem & ſcopus, & temporis ratio prohibent. Ad primam, eorum nempe claſſem, quæ plethoram generant, varia in variis ſunt recenſenda: Conſiderationem hic meretur generalis fœminarum ad plethoram generandam diſpoſitio, quia negotio generationis dicatæ obſervantur; diæta multarum luxurioſa, & valde nutriens ſub graviditate, vitæ genus quietum, evacuationis ordinariæ menſtruæ ſuppreſſio, hæmorrhagiarum artificialium neglectus &c. quæ cum aliis communia habent, ad ſanguinem abundantem producendum, longius enumerare, incaſſum videtur factum. Ad alteram autem claſſem, eorum nempe, quæ ſanguinem impellunt, moleſtamque plethoram turgidiorem reddunt, ſpectant diæta ſpirituoſa, aromatica, frequentes ſimulque immoderatæ corporis exæſtuationes, remedia fortiter commoventia, ex qui-

quibus inprimis eminent, crocata, camphorata, Aloetica, fortiora diuretica, atque menſes pellentia, quæ in totam maſſam ſanguineam vim ſuam expanſivam communicant. Huc primario pertinet e temperamentis Cholericum cum ſanguineo mixtum, qualis temperamenti gravidæ valde ad motuum exceſſus, inde ortos orgasmos, ut & vehementiores ſanguinis excretiones proclives ſunt; accedunt frequentiora exercitia venerea, ſicuti generaliter ſub iisdem tota humorum maſſa valde exagitatur, pulſus cordis & circulus humorum augentur, ita hoc ex capite majus periculum ominantur, affluxum humorum verſus genitalia invitando.

§. IX.

Ex cauſis abortus, quantum valeant animi pathemata ad illum provocandum, neminem latet; quæ pro ſua diverſitate, diverſa etiam ratione, eidem commodam præbere anſam, videntur. Præſente etenim *ira*, circulus humorum magis magisque intenditur, unde magnus orgasmus & expanſio ſumma ab hoc celeriori oritur circuitu, quem eo certius excipit abactio, ſi *plethora* ibi reperiatur; abſente autem plethora, tamen humores adeo expanſi tunc temporis plethoram, ſi non veram, tamen apparentem conſtituunt, quam natura, moleſte ferens, illam una cum fœtu per uterum exterminat. Cur autem *iracundia ſuppreſſa* majus abortus periculum inferat, *Illuſtr. Stahlius* præ aliis nitide expoſuit, dicens, quod principium movens, cum malitiam ſuam in altero experiri, aut ſatiare non licet, in domeſtico

onere, nempe fœtu illam iu effectum deducere ſatagit, id quod per paroxyſmos calculoſos poſt iracundiam, & varios alios caſus eximie illuſtratur. *Terrorem* quod attinet, tunc & ille pro modulo ſuo multum ad abortum contribuit, dum conſtrictionem ſpasmodicam ſuperficiei inducit, corporis humores a peripheria ad interiores partes repellit, hinc veroſimile apparet, quod natura, dum horum humorum, inprimis in vaſculis abdominalibus, repreſſorum nimiam animadvertit copiam, quarum ſtagnationem metuit, quandam horum partem, hiſce in anguſtiis aberrans, proximam per viam, uterum nempe ſtudeat evacuare, qua vero ratione, mortem fœtus in utero accelerare poſſit *terror*, vid. *Stahlius* loco citato. Quantum valeat *hæreditaria diſpoſitio*, ſæpius obſervare licet in fœminis, quarum matres ſæpius abortum perpeſſæ ſunt, has illo & ſæpius infeſtari, imo interdum ex multiplici abortu, ſteriles evadere, triſtis docet eventus. Præ aliis vero pertinaciſſime inter cauſas abortus ſe gerit *conſuetudo*, quando enim tener uteri ſoſpes, ex domicilio ſuo præmature eſt expulſus, ejusdem ſucceſſores, rariſſime meliori fruuntur fortuna, cum inſigni illo phœnomeno, quod tales repetiti abortus eodem ſæpius menſe, imo die contingant, quo primus: ubi tamen minime negandum, quod alia cauſa memoriam internam talis actus prægreſſi in natura poſſit revocare, qua ſublata, etiam effectus tolli, obſervationibus confirmatum eſt. Hæc ſufficiant de *cauſis* abortus magis conſuetis & ſolennibus, in quibus noſtrum remedium, tuto cito & jucun-

cunde commendari queat. Ceteras cauſas, quales ſunt læſiones variæ externæ, hæmorrhagiæ nimiæ, alvi dejectiones crebriores, dyſenteriæ refractariæ, defectus materiæ nutrientis pro fœtu, exacte hic delineare, mihi haud animum eſſe, in initiis jam jamque indicavi, præſertim cum venæ ſectio in ejusmodi caſibus directe minus eſt commendanda; unde potius prudenti medicorum judicio relinquendum, an in uno vel altero caſu tali, hujus celebratio foret aliqualis utilitatis.

§. V.

Deductis noxii hujus affectus cauſis, *ad ſigna* pertractanda, me jam converto, quæ, melioris ordinis gratia in Remota & Proxima erunt diſpeſcenda, quo ex prioribus, medicus hunc affectum metuendum eſſe, poſſit conjicere, adeoque poſteriora prudenti conſilio præſervet, vel ſi jam adſint, ad imminens periculum avertendum, ſit promtior. Ad ſigna remota pertinent ſenſibilitas, *ætas* adhuc tenerior, ſtructura corporis debilior, *temperamentum* inprimis de Cholerico & Sanguineo participans, præſentia omnium cauſarum, quas ſupra allegavimus, inprimis ſi ſubjectum eſt plethoricum, inſignia animi pathemata, aut *diætæ* vitia fuere prægreſſa, ſi ſubjectum *alias anomaliis* menſium, inprimis vero largiori ejusdem fluxu unquam laboraverit, abortus vel jam ſemel vel aliquoties prægreſſus, quo in caſu eo certiorem de futuro abortu inſtituere valet prognoſin. Quod magis mirandum, adſunt enim teſtimonia *de abortu critico*, quæ leguntur *in Med. Conſult.*

Mercurialis Tom. I. Conſ. 51. & in A. N. C. D. 1. A. 3. obſ. 180. ſimul Dec. 3. An. 7. obſ. 155. conf. D. D. Præſid. Juriſpr. Med. Part. II. caſ. 49. p. 510. in Epicriſi. Signa proximiora ſunt, Anguſtia præcordiorum, torpor animi, propenſio in lipothymias, veræ lipothymiæ, laſſitudo corporis, præ aliis dolores gravativi circa lumbos, ſuccedunt tormina in infimo ventre; apparet fluxus ſanguinis, interdum valde modicus, ſine omnibꝰ doloribus procedens, ſenſim autem valde increbeſcens, interdum ſummis doloribus ſtipatus, mox largior & vehementior obſervatur, tandem accedunt dolores mox obtuſi, mox vero valde ſenſibiles a regione iſchiadica verſus regionem pubis urgentes, ſeu uno verbo veri dolores, qui in partu obſervantur, interdum vero tantum ſub initio dolores vagi, quos in negotio partus mulierculæ (wilde Wehen) vocant, tandem excluditur fœtus, ſubſequenti utplurimum enormi hæmorrhagia, poſtea ſymptomatum eximium obſervatur levamen.

§. XI.

Theſi tertia monui, medico practico valde neceſſarium eſſe, quod differentiam inter abortum & fœtum mortuum habeat bene cognitam, imprimis dum ratione cauſarum hi affectus colludunt, ſic ſupra jam datis illius ſignis, hujus quoque ſigna brevibus attingam, quo his invicem collectis, differentia eo citius elluceſcat. Sunt autem ſigna fœtus mortui, flacciditas mammarum ad dictum *Hippocratis Sect. V. Aphor. 37. 38. Mulieri in gravidatæ, ſi mammæ repente extenuantur, abortit,* quæ potius ad fœtum mortuum,

quam

quam ad abortum pertinet; porro debilitas matris, ubi concurrit auditus, imo viſus debilitas; Vultus, non modo pallidus, ſed & ſqualidus fœtitus ſimul; virium dejectio; dolores capitis vertiginoſi; quid quod ſi fœtus jam fuerit adultior, adeo, ut mater ipſius motum jam perceperit, *motus* ille penitus ceſſat, lac evaneſcit, & in flaccidis mammis nil, niſi humor valde limpidus & aquoſus remanet: Sub ipſa fœtus morte, ſenſibilis horror, ſubitaneus quidem, totum matris corpus percurrit, quæ horripilatio, cum æſtu volatico continuat, languor accreſcit, tam corporis quam mentis, accedunt frequentes lipothymiæ, interdum motus convulſivi; Venter evadit flaccidus, & ejus tumor ad inferiora magis delabitur, inde miſeræ matres ſenſus gravativos circa genitalia perſentiſcunt, quin imo ſi fœtus ad notabilem jam acceſſerit magnitudinem, ſenſibilis regionis *tumidæ* eſt refrigeratio. Adveniunt dolores ad partum valde obtuſi, debiles, rari, non diu continuantes, ſed per intervalla tantum repetentes, interdum plane ceſſantes; effluit ſanguis & aqua magno fœtore ex utero; ut ſignum præſentis fœtus corruptionis, qui niſi tempeſtive excluſus, varia incommoda & pericula minatur.

§. XII.

De cura hujus affectus, prolixius agere pharmaceutice, non placet, quæ potius ex *Illuſtris Stahlii diſput. de Abortu & fœtu mortuo*, & *Hilſcheri diſput. de hiſtoria abortus & fœtus præcocis*, aliisque eruenda eſt, ſed de unico illo auxilio chirurgico, nempe *venæ ſectione*, quædam proferre lubet. Exinde vero minus cuidam

veniam damus concludendi, ad pharmacevtica plane rejicienda, ſed tantum iis plerumque ſine fructu adhibitis, venæ ſectionem, quaſi majoris certiorisque efficaciæ remedium deprædicando, commendo. Nec quisquam, cauſas ſuperius allegatas, libera penſitans mente, hujus uſum rationalem negando, empiriæ nota laborantem accuſabit. Quid enim magis rationi reſpondet, quam tale remedium in uſum trahere, quod cauſam morbi ſine ulla noxa tollere valet; quin imo ſi fidi practici officium in eo conſiſtit, ut cito, tuto & jucunde cauſam morbi removeat ſymptomataque ſublevet, certe neſcio, quid citius, tutius, quid jucundiori via horrendi hujus affectus tam cauſas quam ſymptomata ſimul & ſemel tollere poſſit, quam venæ ſectio prudenter adhibita. Etenim quo modo plethoram, ſi abortus cauſa evadit, ſine hoc remedio tolles? per remedia, ſanguinem conſumentia? hæc certe, ut non entia laudantur, ſi directe ſanguinem conſumere, extolluntur; quæ indirecte vero, ſanguinem commovendo, partesque ſtimulando humores imminuunt, non ſolum abortum imminentem non præcavent, ſed potius illum certe provocant; an ergo per promotionem evacuationum ſanguinearum naturalium? ſed quæſo, quonam loco illam in gravidis ſine ſummo abortus periculo tendabis? Ergo per temperantia, ſedantia, adſtringentia, plethora commota eſt temperanda, motus erronei mitigandi? optime! ſed quam raro *ſecura* talia adhibita expectatum præſtent effectum, & quam ſæpe fortiora ſedantia & adſtringentia

tia inſenſiſſimos morbos, vitæ & matris & fœtus, ominoſos afferant, quotidiana experientia teſtatur.

§. XIII.

Quando ſola plethora, in commotionem redacta, cauſam abortus ſubiit, tunc rationes pro venæ ſectione militantes, tantis nituntur talis, ut iisdem quid obloqui poſſe, vix confidam, niſi obloquentis mens, autoritatis veterum præjudicio obnubilata, veritatem luce clariorem videre neque velit, neque poſſit; An autem dicta venæ inciſio, locum habeat, ubi *animi pathemata vel mala conſuetudo*, abortum portendunt, alii rem altioris indaginis eſſe judicabunt. Præſente autem plethora *per motus animi* ſtrenue commota, ſi, motus ad abortum tendentes obſervantur, non ob fœtum moleſtum, ſed ob plethoram ſive veram ſive apparentem eveniunt, quo in paſſu naturæ, pharmacevticis incaſſum adhibitis, congrua venæ ſectione obviam ire, conceſſum eſſe puto; Porro ſi in *terrore*, præſente inprimis plethora, ob metum ſtagnationis ſanguinis in partibus nobilioribus internis, quædam pars, *per uterina*, bona quidem intentione, ſed infelici ſucceſſu evacuari ſolent cur non aliquam partem ſanguinis, ad partes interiores refluentis detrahere liceret? quo reliqua pars a metuenda periculoſa ſtagnatione liberetur. Inſuper mihi perſuadeo, quod, cum in quibusdam caſibus ſola cauſa moralis adſit, ut in ira ſuppreſſa, conſuetudine ad abortus &c. commode venæ ſectio ſit inſtituenda; hac enim evacuatione ſolennis alteratio naturæ inprimitur, ab ideis ſibi hac de re formatis,

tis, revocatur, & periculoſus effectus ſuffocatur; multo magis, quando conſuetudo *plethoræ* moleſtæ generationem ac nutritionem ſuam debet, quod, ut contingat quam plurimum, experientia confirmatur.

§. XIV.

Si vero quispiam hiſce rationibus convinci haud poſſit, ſed potius ad autoritatem & experientiam aliorum confugit, venæ ſectionem cauſam abortus cum *Hippocrate* declarantium, huic autoritatem & experientiam optimorum practicorum opponere, erit licitum. Ne vero alicujus autoritati & fidei quid detraham, prius confiteor, venæ ſectionem aliquando cauſam abortus fuiſſe, vel ad minimum talem apparuiſſe; quum enim largior, in ſubjectis ſenſibilioribus inſtituitur, utut ætate *Hippocratis* factum legitur, & ex imperitia Chirurgi adhuc contingere poteſt, tunc talem, ſicuti in matre lipothymias, imo convulſiones, cauſatur, facile abortus cauſam evadere poſſe, neutiquam diffiteor, a tali vero erronea & imperita venæ ſectione, ad venæ ſectionem conſilio prudenti inſtitutam, non valet conſequentia. Itidem venæ ſectio largior, in ſubjectis aliis morbidis, aut nimia prægreſſa hæmorrhagia debilitatis, ſuſcepta, cauſa ſubſequentis abortus obſervatur. Præterea non nego, abortum aliquoties eſſe ſubſecutum, quando venæ ſectio fuit adhibita, dum motus abortivi jam in exceſſu peccant, ubi non venæ ſectio, ſed cauſæ antecedentes, pro veris abortus cauſis, agnoſcendæ veniunt. Poſtremo & nimis parca venæ ſectio, abortum exci-
taſſe,

taſſe, refertur. Experientia enim docet, quod, quando plethora valde urget, tunc natura, ſi per aliqualem ſanguinis miſſionem, ei haud ſatisfeceris, magis excitetur, ad reliquam ſibi adhuc moleſtam ſanguinis partem evacuandam, unde ſi talis evacuatio per loca uterina intenditur, abortus inde ortũ trahere poteſt. Quod vero prudenter adminiſtrata venæ ſectio in pede gravidarum nunquam ad abortum anſam præbeat multorum autoritate corroborare ſuperfluum eſſet, cum ſupra laudatus *Hojelſinus* ejusdem innocentiam ſufficientibus demonſtravit argumentis, cujus veritatis confirmationem ſexcenta innoxiæ venæ ſectionis tempore graviditatis, aliquoties repetitæ, quas non unicus adhuc excepit abortus, exempla, illo jam abſente, reddiderunt clariorem. Imo etiam, quod largiſſimæ venæ ſectiones, vel ex imperitia, vel malitia, ſæpius ſub geſtatione repetitæ, non ſemper fœtui noxiæ fuerint, varii teſtantur autores, inter quos *Cronius in Candidat. Chirurgiæ pag. 129.* caſum allegat, in quo per 4 hebdomades, ſemel vel bis, qualibet ſeptimana, duæ ſimul venæ aperiebantur in pede, largaque quantitas ſanguinis ſine noxa fœtus emittebatur. *Mauriceau de Venæ ſectione nonageſies* (innoxio fœtu) ſub geſtatione, & in alia quadrageſies & octies repetita, fœtu tamen remanente incolumi, mentionem facit. *Stalpart* van der Wiel, *venæ ſectionem quadrageſies octies*, in gravida, absque ullo detrimento fœtus inſtitutam fuiſſe, memorat, quas & jam dictus *Dn. Licentiatus Bockius* annotavit, inde demum merito concludere licitum erit, ſi venæ ſectionem tam largam & impruden-

 ter

ter repetitam, non ſemper abortus eſt comitatus, multo minus illa a prudenti medico legitime inſtituta noxam afferet.

§. XV.

Quod vero venæ ſectio etiam optime abortum imminentem *præſervet*, ſicuti ſufficientibus, ut ſpero, rationibus demonſtravi, ita etiam autoritatibus, & experientia feliciſſimorum Practicorum non plane deſtituor, quorum aliquos enumerare, placet, & quidem ex antiquioribus, recenſente *Schenckio*, *Hora-*
Caſ. 1. *tium Augenium Lib. I. Epiſtol. I. Cap. 7.* qui de fœmina quadam refert, quod parum ſupergreſſa 4tum menſem, mortuum puerum ſingulis emiſerit annis. Cauſam explorans, haud ullam aliam invenit *Noſter Augenius*, quam plenitudinem ſanguinis, cujus ipſi manifeſtum apparuit indicium ex plethorico illius habitu, & victus ratione εὔσαρκα. Addit quoad curam, ſe primis menſibus copiam ſanguinis vena ſecta in gibbero diminuiſſe, cujus iterationem adhibuit, fruſtra medico reclamante Anxymano; miſera inde optimum percepit ſolatium, nam dum antea quater abortivit, nunquam poſtea illud perpeſſa eſt periculum, vivens interea cum ſobole numeroſa. *Hieron.*
Caſ. 2. *Accorombon. Eugubius* circa finem *Part. I. Tr. de natura & uſu lactis* reminiſcitur duarum mulierum prægnantium; in altera ſuffocati fuerunt quatuor filii in octavo menſe, in altera vero duo in ſexto, quibus dum iterum gravidæ eſſent, juſſit ſecari venam baſilicam dextri brachii in quinto menſe, & copioſe ſanguinem educi, in ambabus ſervatus eſt fœtus, non ſolum ſemel,

mel, ſed etiam pluries, cum factæ fuerant gravidæ, inciſa itidem in iis vena. Sic etiam *Ant. Max. Betta Comm. ad 4. feneſtr. Avicennæ Cap. 20.* venæ ſectionem contra abortum, multiplici experientia ſibi comprobatam eſſe teſtatur.

Ejusmodi notatu dignum caſum refert *Zacutus Luſitanus in Praxi Admiranda Lib. II. obſ. 160.* quem *Hojelſinus* l. c. jam annotavit; ubi nempe binis fœminis robuſtis, quæ alias ſub geſtatione purgationes menſtruas paſſæ, jam iterum vero gravidæ, ob earum defectum abortum fecerunt, vena in brachio inutiliter ſecata, ad præſervandum iteratum abortum ſingulis a ſecundo usque ad quintum menſibus, ex talo ſanguinem exhauſit, unde fœtum ter feliciſſimum nono ediderunt menſe. Hæc ex iis, quæ veteres nobis reliquerunt, ſufficiant, etſi plures tales obſervationes ex *Roderico a Caſtro*, *Riedlino*, *Dionis*, *Actis N. C.* poſſem afferre, jam vero ad hodiernos me verto Practicos, quorum paucos, ſed probatiſſimos, in medium proferam, inter quos præ aliis *Magnificum D. Pro-Rectorem*, Præſidem graviſſimum pono, cujus autoritate, utut in medica arte firmiter ſatis fundata nitentes, ab erroribus manebunt liberi, qui venæſectionem prudentem ut inſigne contra abortum deprædicavit remedium in *Syſtemate Jurisprud. Med. Part. II. p. 517. & 518.* Cujus ſingulari benevolentiæ, ſequentes duos caſus, memoria dignos debeo: Fœmina quædam præclaræ familiæ valde ſanguinea & turgide plethorica ſub graviditate aliquando ex animi, diætæ & regiminis erroribus frequentes paſſa fuit ad abortiendum conatus, quos V. Sio quinquies ſub una eademque graviditate adminiſtrata, optimo ſucceſſu mitigavit, & abortus conſecutionem ita removit, ut juſto tempore eadem fœmina vegetum & robuſtum puerum, qui adhuc vivit, pepererit:

Caſ. 3.

Caſus 4.

D 2 Alia

Caſus 5. Alia fœmina in matrimonio fœcundo, ſed minus pacifico conſtituta, plures perpeſſa fuit abortus, quæ in plena diæta vitam ſuam tranſegit, indeque non parum plethorica reddita fuerat: huic fœminæ temperamento melancholico-ſanguineo inſtructæ aliquando ſub impregnationis termino, dum ob varia jurgia abortus repetitus imminuerat, quater V. Sio à *D. D. Præſide* multo cum adjumento ordinata, indeque abortus præſentaneo & efficaciter prohibitus fuerat. Quid quod plures obſervationes ex propria praxi *D. D. Præſidi* conſtant, ubi terna vice V. Sio inſtituta abortum præſervavit. Notatu dignam æſtimat *D. D. Præſes* obſervationem *Riverii Cent. I. obſ. 53.* & in *Binningero, de abortu per V. Snem ſingulis Menſibus inſtitutam præſervato*, vid. *Henricus ab Heer obſ. 14. de Aborta V. Sne ter inſtituta præſervato.*

Sic etiam experientiſſimum *Dom. Doctorem Junckerum* hujus obſervationis graviſſimum habeo teſtem, qui hoc remedium probatum ſæpius optimo cum ſucceſſu inſtitui juſſit, quod apte monuit in *Conſpectu medicinæ Tab. de affectibus gravidarum*, ſub cujus nunquam ſatis laudandi viri manuductione ſequens ad manus pervenit caſus.

Caſus 6. Matrona quædam 30 annorum, vitæ generis placidi, & parum negotioſi habitus gracilis & teneri, plethorica, maritata per 12. annos, poſt primum conjugii partum, febre ſatis acuta, puerperii tempore decubuit, tanto cum diſcrimine, ut multi de vita ejus deſperarent, quam tamen felici ſucceſſu ſuperavit. Hujus febris cauſam quidam a neglecta Venæſectione ſub tempore geſtationis derivarunt. Sub 2da geſtatione, per ſomnum a fragore repentino tonitruali perterrita, abortum eſt perpeſſa, & quidem undecima geſtationis hebdomade. Tertia demum vice, imo quarta & quinta gravida facta, eadem nempe undecima geſtationis ſeptimana in idem abortus infortunium incidit, quod

ſex-

ſexta etiam vice contigit; Aſt tandem, in ſeptimi, quo fœtum geſtabat, menſis fine, puellula nata poſt properatum S. baptismatis actum expiravit. In hiſce calamitatibus per ſex vices laborans varia a variis conſilia & auxilia petiit, quorum alii ſanguinis immunditiem ſcorbuticam *generatim* cordi habuerunt, & in repurgatione illius ſalutem promiſerunt, alii matricis impuritatem *ſpeciatim accuſarunt*, alii ligamenta uteri laxata, & ferendo oneri imparia eſſe, alii uterum deſcendiſſe crediderunt. Unde non tantum multa remedia interna propinata ſunt, ſed etiam univerſus fere topicorum apparatus in ſubſidium venit, videlicet, jam genitalia & femora ſpiritibus inungebantur fortibus, jam uterus peſſariis ſuffulciebatur, jam abdomen emplaſtris contrahentibus & adſtringentibus cingebatur, nec ſuffitus, nec balnea, nec vapores deerant, ex quibus omnibus, haud ullum tamen memoratos ſex abortus impedire valebat. Anno 1723. hac fœmina jam ſeptima vice gravida, a medicis deſerta domi conſilium cepit, ſibique venæſectione conſulere conſtituit, nec male ceſſit. Quam primum enim conatus ad abortum ſenſit, ſanguinis e brachio tantam miſit quantitatem, quantem vix orbis diſcus capit, & ſtatim conatus deſierunt. Hanc ſanguinis miſſionem per tempus geſtationis toties repetiit, quoties nova molimina ad abortum animadvertit, quod 8. aut 9 vicibus reiteratum fuit. Tandem filium excluſit diu optatum, qui non quidem craſſo, aut obeſo corpore, de reliquo bene conſtitutus fuit. Tempus puerperii fuit exoptatum; lochia ſub uſu pilularum polychreſtarum ſatis bene fluxerunt; Infans mercenario lacte nutritus, per decem hebdomades, ex voto corporis cepit incrementum; undecima tamen hebdomade, poſt epilepſiam 4. dierum, a qua nullis prægreſſis incommodis, ſubito ſub ſomno correptus, vitam finivit brevem. Cum ergo medicus quidam hanc epilepſiam in-

ſantis & difficultatem partus, ut ut mediocrem, a crebriori venæ ſectione in brachio originem traxiſſe, matri perſuaſerit, illa ſequente anno iterum gravida, ſanguinis miſſionem quidem quater, non tamen in brachio ſed potius in pede inſtituit, bis nempe abortum præcavendi ſcopo, primis duobus menſibus geſtationis, bis poſtea in progreſſu graviditatis, quoties alvi obſtructionem, & preſſionem circa latera ſenſit, miſſo ſanguine alvum ſtatim ſolutam habuit, quieſcentibus etiam reliquis incommodis. Partus juſto adfuit tempore expeditiſſimus, quo filium validiorem, & robuſtiorem priori excluſit. Plures in medium proferre poſſem ejusmodi caſus, ſi aliquid aliud indicarent, niſi quod allegati jam continent, quare B. L. ne pluribus tibi moleſtus ſim, abſtinebo ab iisdem.

§. XVI.

Reſtat denique ad enucleandum, quo tempore, qua menſura, & quo loco ſanguis hoc ſcopo ſit emittendus. Primum quod attinet, tunc ſigna remotiora, quæ abortum ſub geſtatione metuendum indicant, bis vel ter repetitam præſervatoriam venæ ſectionem ſuadent, in plurimis non ſolvit malum, quare prudens medicus toties, quoties proximiora apparent imminentis abortus ſigna, tuto venam tundere permittat. Quoad poſterius nempe menſuram hanc determinare, minus videtur neceſſe, modo ſubjecti & plethoræ habeatur ratio. Media via incedere tutiſſimum erit, quo neque in defectu, neque in exceſſu peccemus. De ultimo, nempe loco ſeligendo non multum ſollicitus ſum, ſiquidem natura, in quocunque loco quantitas imminuta fuerit, quieſcere obſervatur. Si enim quidam majorem fiduciam ponit in Venæ ſectionem in brachio adhibitam, illam haud diſſvadeo, præſertim in quibusdam caſibus reſervatis. Generaliter vero V. S. in pede adminiſtratam variis rationibus indu-

inductus, alteri præfero, quas experientia confirmatas nominatus poſuit *Hojelſinus* l. c. Sub venæ ſectione enim in brachio inſtituta, motus magis ad partes nobiliores, inprimis thoracem invitantur, ab eadem ſæpius repetita menſes poſtea facile inordinati evadunt, quæ incommoda venæ ſectionem in pede haud comitantur. Nec obſtat, quod hæc menſes revocare dicatur, nam, quod hoc rarius, non adhibitis ſimul remediis pro hac ſcopo proficuis, contingat, docet experientia, nec minus, quod etiam in largioribus æqualem, ſi non meliorem quam venæ ſectio brachii, præſtet effectum, ut ut in virgine quadam per longum tempus menſibus largiſſimis laborante, poſt venæ ſectionem, hoc menſe, decreſcente luna, in pede celebratam, non ſolum menſes, ſex dies ſerius, quam ordinarie eſt experta, ſed etiam parci apparuerunt. Nec etiam venæ ſectio cubitus efficaciorem VSione pedis ſe præbuit, utramque enim ſæpius repetere neceſſitas poſtulat. Quemadmodum notus eſt caſus mulieris cujusdam, quæ bis ſub quacunque geſtatione, venam in brachio aperire, conſuevit, & tamen octies abortivit. Inde elucеſcit ex quibusdam horum caſuum, Venæ ſectionem in pede aliquoties abortum præcaviſſe, dum in brachio inciſa vena malum avertere non potuit. Prius vero quam a præſenti labore diſcedam, Summo Numini devotas ago gratias pro ſua clementia, quam mihi præſenti in labore, largitus eſt clementiſſime; Tibi vero B. L. hunc laborem, de meliori commendo.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. CHRISTIANUS AM ENDE.

FABRICIORUM nobile genus cum a Romanis, teſte Livio, dependeat, quid mirum, quod ſeculum ferme quodvis ab eo tempore huc usque e foro tam Theologico, quam Politico & Medico FABRICIOS ſuos enarret atque extollat. Habes itaque omnino, FABRICI Præſtantiſſime, cur de tot egregiis Tui nominis viris Tibi graculeris; imprimis honori & ornamento Tibi cedit, vixiſſe quondam FABRICIOS Medicos, practicos feliciſſimos, & per ſua ſcripta ſatis celebres. Ex illis præcipue hoc loco Hieronymum FABRICIUM ab Aquapendente & Guilielmum FABRICIUM Hildanum nominetenus indicare liceat. Qui fuerint, & in quo honore ſuis temporibus ſint habiti, & quomodo in ore Medicorum adhuc quotidie verſentur, Tibi ipſi & Medico cuivis conſtat, ita, ut de iisdem multa dicere ſupervacaneum exiſtimem. Bona hinc quævis Tibi ominer, eo magis, cum non tantum nomine, ſed & FABRICIORUM omine juxta effatum Pyrrhi apud Aurel. Victorem de Viris illuſtr. gaudeas, nempe quod ille ſit FABRICIUS, qui difficilius ab honeſtate, quam ſol a ſuo curſu averti poſſit. Virtutum antem injuria eſſet pleno ore honeſtam vitam & eximiam operam, quam arti ſalutari navaſti, in Te laudare. Hæc etenim omnibus, qui Te intimius norunt, imo illis, qui vel levem Tui cognitionem habent, ad ſatietatem ſunt nota. Pergo potius ad id, cujus cauſa hæc ad Te proficiſcnntur, ut ſcilicet illos, qui Tibi mox conferentur honores, ex ipſa mente animi gratuler, & aliorum plauſibus mea vota aſſociem. Faxit Doctor Doctorum, Archiater ſummus, ut egregiæ illius, quam in arte medica penitius imbibenda adhibuiſti, induſtriæ lætos nunc fructus colligas. Largiatur Ille Tibi proſperam & mentis & corporis valetudinem, ſecundetque conſilia & auxilia, quibus labefactatæ ægrotorum valetudini ſuccurrendum erit; & cum Medicus felix deprædicetur illo, qui cito, tuto & jucunde curat, ut eadem Tibi felicitas contingat, ſummopere precor. Hoc enim modo FABRICIOS Medicos, qui ante Te fuerunt, fama facile æquabis, nî ſuperes. Cæterum vale, meque quod facis, conſtanter ama. Dabam è muſeo Lœsnitii in Sudetibus, d. XV. Martii A. C. M. DCC XXVII.

QUos collexiſti fructus nunc percipis omnes
Circumdatque tuum *Laurea digna caput*
Aegris & Sanis magno ſis emolumento
Et fauſte facias, quæ modocunque facis
Opto tibi *fauſtos ſucceſſus, opto ſecundos*
Incolumisque diu ſis faveasque mihi.

Tibi Nobiliſſime Doctiſſime Experientiſſime Dn. Candidate, Fautor & Amice intergerrime fideliſſimo deditiſſimoque

G. D. Bœſſel.

PLaudo Tuis Studiis, Fabrici, plaudo tiaræ,
Quam Tibi, quam ſtudiis nectit Hygea Tuis.
Si Tua Vena *meæ ſtillaret flumina* venæ,
Quanta Tibi caneret carmina vena *mea?*
Ipſe ſecas Venam, Venam *cum laude tueris,*
Applaudit Venæ *noſtra cathedra Tuæ;*
Sed mea vena *riget, ſtagnant mea gaudia* venas,
Venas *quæ ſaltu gaudia mille gerunt.*
Dum venæ *pectus mulcent, dum* Vena *triumphat*
Quam Tu defendis, vix mea vena *fluit.*
Vixque Tuas laudes caneret vix vena *Morhoffi,*
Quam Tua jure ſuo patria docta colit.
Atque Tuum lædit, novi, peana pudorem
Virgireum, qui non nomina ferre poteſt.
Cum DEus atque labor cingunt Tua tempora laude,
Fundere non laudes ſed pia vota volo.
Arctus amor fidas detorquet pectore voces,
Tradere quas chartæ non mea penna valet.
Corde manent plures, tacito quæ promere corde
Non opus, ut videat cor mea corda Tuum.
Noſti me, noſti mentem, præcordia noſti,
Cognoſti dudum quæ Tibi vota fero.

Præmia grator enim, plaudo, ſed (namque fatebor)
Supremo nequit plaudere vena Vale.
Mores & virtus, artisque peritia, ſuave
Os Tuum jungunt pectora noſtra Tibi.
Corpora noſtra ſecet quamvis Tua ſectio *venæ,*
Unquam non animos illa ſecare *poteſt.*
Et ſi fata volunt quando præſagia fata,
Ad Cimbros felix advolo forte Tuos.
Interea venæ *ſaliunt dum ſanguine, teſtor,*
Teſtor, FABRICI *fidus amicus ero.*

Hiſce Nobiliſſimo & Experientiſſimo Dn. Candidato, Amico ſuo ob ſingularem animorum concentum conjunctiſſimo pia mente gratulatur

M. Nath. Gœring.
Gardelegienſis Pal. March. L. L. St.

Sonnette.

Ich unterſteh mich Dir/ mein Freund/ zu gratuliren/
Ja die Gelehrſamkeit den Gradum überbracht/
Denn ein erfahrner Artzt/ den Witz und Klugheit zieren/
Wird/ wenn Er glücklich iſt/ von Allen hoch geacht
Wo Leute auf dem Land und groſſe Städte ſpüren/
Das ein entbrandes Weh aus Ländern Wüſten macht/
Da wird der Aertzte Cur/ die ſie mit Klugheit führen/
Und dieſem Ubel ſteurt/ mit groſſem Ruhm gedacht.
Nun gehe hin! Es wird dein Vaterland erfahren/
Was Stahlens Theorie was Hall in eingen Jahren/
Nebſt deiner Frömmigkeit und groſſem Fleiß gethan/
Der HERR der groſe Artzt/ die Quelle aller Seegen/
Wird dort in deine Cur beſondre Kräffte legen/
Wend ſie zu ſeiner Ehr/ und Nutz des Nächſten an!

Præclariſſimo Domino Candidato hiſce verbis lætitiæ teſſeram exhibet

C. G. C. Th. St.